



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Vindicandi animus, qui non necessarijs appellationibus inesse potest,  
SS. litteris aduersus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

tribunal, non dixerit, sed cum libero summi Iudicis arbitrio reliquerit iudicandum.

V I.

Ad eandem patientiam nos dirigunt doctrina & exempla Christi ac Sanctorum. Doctrina enim eius non est, vt oremus, *Matth. 6. 12. Voca ad iudicium, & plecte inimicos nostros: sed: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quo modo dimittit, qui aduersarium ad iudicem mittit? Non est hoc dare veniam, sed exigere pœnam. Aliud præceptum scripsit nobis Magister.

*Matth. 5. 44. noster: Diligite inimicos vestros, inquit, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Citare illos ad iudicium, non est, pro illis, sed contra illos orare; non illos diligere; non benefacere, sed velle mori, sed velle illos iudicari & damnari, sed velle illis iustitiam diuinam immittere, non misericordiam impetrare. Quod etiam Apostolus gentium vetuit illis

*1. Theſſal. 5. 15. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes.* Contrarium profusè faciunt, qui iustissimam talionis legem existimantes, non bonum pro malo, sed malum pro malo, dentem pro dente, mortem pro morte reddere, Paulo reclamante, petunt, formidando Dei decreto, inimicos suos è medio tolli, atque ad Tartareos ignes condemnari.

VII.

Si quis exempla vult imitari habet sanè exempla, atque in primis ipsius Dei. Quamobrem Christus, cum dixisset: *orate pro persequentibus & calumniantibus vos, statim exemplum subiungens dixit: ut sitis filij Patris vestri qui in calis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Sedet, in cælis, Deus, & audit quotidie homines sibi maledicentes, impiòsque dirissimè conuiciantes ac blasphemantes; & noua semper scelerata excogitantes, quantumque in ipsis est, giganteo ausu, diuinam maiestatem è cælo deripere conantes: audit ista, & videt, & patitur. Quid dico patitur? cum habeat potestatem mittere in gehennam, & missis è nube fulminibus, tales exterminare; sustinet illos, *solem suum oriri facit* illis, pluuiam mittit, vt terra, ad eos alendos irrigetur: nec hoc tantum facit, sed etiam mittit illis angelos suos, qui eos in viam, atque ad æternæ gloriæ semitam reducat. Pulcherrimè aureum illud os: *At, inquires, calumniam passus sum, & ferre iubet aquanimiter, & quo modo potero? Facillimè profecto, si tantum in calum respicias. Cogita quòd, illic super Cherubim sedenti*

S. Chrysoſt.  
hom. 78.

*At, inquires, calumniam passus sum, & ferre iubet aquanimiter, & quo modo potero? Facillimè profecto, si tantum in calum respicias. Cogita quòd, illic super Cherubim sedenti*